



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Varij modi, quibus malus spiritus videtur homines in bestias
transmutare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

Phantium. Si enim quis dicat, dæmonem id potesse, obstat velut murus vnanimis Theologorum consensus, qui hanc animæ cum corpore copulationem, nulli creaturæ, sed soli rerum vniuersarum creatori semper tribuerunt. Multò verò minùs quibit vllus diabolorum bestiam in hominis substantiam mutare. Nam si vel maximè concederemus (quod tamen non damus) eum è corpore lupi, aut ranæ, aut etiam è limo, imitatione quadam diuina, corpus humanum effigiare, vnde misellus accipiet animam immortalem? creabit? At jam hæretici, iam Priscillianistæ erimus, qui asserebant, Angelos malos figurare & efficere corpora humana in vteris mulierum. Contra quos decretus est in Concilio Bracharensi iste canon. *Si quis credit, quòd aliquantas in mundo creaturas diabolus fecerit, &c. anathema sit.* Vnde & Platonis sententiam, dicentis Angelos, seu secundarios Deos, res corporeas ex præiacente materia produxisse, ad Epicuri intermundia relegamus.

S. Leo ep. 97.
ad Turib. c. 8.

Conc. Brachar. 1, can. 8.

XII.

Quo igitur modo talia luporum, vrsorum, felium, rubetarum, aut bufonum similiaque alia bestiarum monstra ex hominibus facit Acheronticus artifex? Siquidem negari non potest, non solum putare magiæ peritos se in tales effigies mutari, sed etiam tales exoticè grassantes bestias videri, immò etiam sentiri in strage hominum pecorumque. Sentio tertio, sæpe talia monstra verè videri, verè sentiri, & quidem arte magica, licet nunquam tamen sine aliqua deceptione. 1. Aliquando diabolus magos & sagos aliò transportatos, vel domi relictos, altissimo somno sopit, insomnioque deludit, vt putent se ibi esse, vbi non sunt, & ea agere, quæ non agunt; cum interea ipse vel corpus lupi, vrsi, &c. ex aëre, aqua, aliaque materia formatum assumit; vel verum lupum, vrsum, &c. impellit, agit, excitat, trahit, ducit, vel in eo ipse facit, quæ sibi magi dormientes videntur facere. Si enim porcos Gerasenorum potuit ita agitare, vt in stagnum se præcipitarent, cur non posset & corpora luporum aliarumque bestiarum ita mouere, vel in propriam perniciem, vel in exitium aliorum? Talem cacodæmonis fraudem à Sancto quodam viro omnibus manifestatam recenset Guilhelmus Parisiensis. Et sæpe certò constabat, ta-

Luc. 8. 33.

lem sagam domi dormijſſe, cum foris, eo ipſo tempore, ſe putaret fuiſſe graſſatam. Utq; fraude dignos artifices magis decipiat, fauciat ipſe dormientes in ea parte, in qua vel vera vel phantaſtica ex aere beſtia ſubinde fauciat. Aliquando tamen eiufcemodi veneficos plane re ipſa in rem praſentem adducit, non quidem veros ex eis lupos, vel vulpes faciens, aut alias ſimiles animantes, ſed, ne agnoſcantur, ex aere compreſſo eiufcemodi beſtia formans imaginem, quam tanquam nebulam, ad amuſſim, conformatam, ita mago ſuo circumdat, ut quo ad poteſt, caput capiti, os ori, ventrem ventri, pedem pedi, brachia brachijs, & omnia membra membris ad viuum accommodet. Cur enim, qua arte ſeipſum, cum vult apparere, veſtit, non veſtiat etiam ſuos domeſticos & familiares? aut quid obſtet, ne tali modo utatur? Hoc pacto veſtigia luporum terrae impreſſa relinquuntur; neque mirum eſt, ſi tunc vere in illis membris veneficae faucientur, in quibus fera fuit vulnerata. Circumiectus enim aer, quamvis denſior, tamen mollis eſt, & facile cedit gladio, aut ſagittae, aut globo plumbeo iaculantis, ut vulnus tranſeat ad hominem intus latitantem. Hoc pacto apud ducem Ruſſiae quidam eſt a canibus laceratus, & in Bulgaria quidam Baianus, de quo Sigebertus in Chronico. Quod etiam contingit ijs, qui veris exuvijs beſtiarum conteguntur. 3. Quippe aliquando magis veras pelles & exuias eiufcemodi belluarum circumdat; quod contingit, quando illis praebet lupinum corium v. g. in trunco quopiam cauae arboris abſcondendum. Potuit Nero humanis manibus ita confectas piſcium aliarumque beſtiarum exuias comparare, ut veri piſcis, aut verae belluae inſtar nataret, vel homines laniaret in theatro, vel amphiteatro, & id diabolica arte conſeruari non poſſet? Hoc modo Petrus Stumſius, qui Bebburgi, in oppidulo Vbiorum ultimo ſupplicio affectus eſt, quoties cingebatur zona quadam lata a daemone ſuccubo donata, ſibi & alijs in lupum verti videbatur; & vero hoc ſchemate ter quinque pueros iugulavit, eorumque comedit cerebellum, crudeli gula. Quin & duas nurus ſuas conatus eſt deuorare, quouis vero lupo appetentior; quavis tigride ſauior.

Rrrrr. 3

Sentio